



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Schvvarczachium monasterium in Franconia seu Francia Orientali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

librordo in opere Apostolico coadiutor fuit
 sacrum corpus adseruat. De S. Suitberto vi-
 de pariter Molanum libro citato. Hæc ferè
 nobiscum conuiuicauit Illustris ac Reueren-
 dus admodum Dominus Abbas Vverdinensis
 cum Antuerpiæ anno 1613. nobiscum versa-
 retur.

*Schvvarczachium monasterium in Franconia
 seu Francia Orientali.*

815.

INsigne istud monasterium, in eiusdem no-
 minis, apud Ostrofrancos ad Mœnum am-
 nem sito oppido, fundatum & liberalissimè
 dotatum est in honorem Christi Saluatoris,
 B. Virginis Mariæ. S. Sebastiani, ac Felicita-
 tis Martyrum, sub Episcopo sexto Herbipo-
 lensi VVolfigero, anno Christi 815. imperan-
 te Ludouico Pio, à *Megnigauo* Duce Ostro-
 francorum & Comite Ratemburgensi ad Tu-
 barum, & ab vxore eiusdem, *Ima*, alibi *Imina*
 dicta, Genebaldi Regis Francorum filia: quo-
 rum amborum in eiusdem cœnobij templo
 corpora humata sunt. Dedit fundator statim
 Abbati primo villam Schvvarczachianam, &
 præterea multa alia loca expressa in litteris
 fundatorijs, quarum colophon talis est: *Tra-*
dimus vobis & concedimus tibi Benedicto &
monachis tuis presentibus & futuris, solius Dei
& peregrinorum hunc locum cum omnibus ibi-
dem contentis, vt orare debeat is pro felici statu

S. MA.

S. Matris Ecclesie, & pro incolumitate dominorum Regum imperantium, presentium, & futurorum. Actum in Megnigaudenhausen super fluuio Leymbach. Dat a mense Martio, anno 816. regnante Ludouico.

Hirsaugiense monasterium, in Germania.

Huius monasterij fundatio facta est anno 830. per Erlafridum Comitem & filium eius Nottingum. Consecratio autem facta est in honorem S. Petri & S. Aurelij Episcopi anno 838. per Otgarium Archiepiscopum Moguntinum presentibus Hildiboldo Archiepiscopo Coloniensi, Rabano Mauro Abbate Fuldensi, Hildeuino Abbate S. Dionysij, alijsque plurimis cum sacri tum politici ordinis proceribus. De eo plura qui uolet Hirsaugiensis monasterij Chronica per Ioannem Trithemium edita consulat.

CAPVT XLV.

Arremarensis Abbatia, vulgò Monstierameij, in D. Trecensi, in Gallia.

Coenobium Arremarense siue Adremarense Ordinis S. benedicti, quatuor dumtaxat leucis à Tricassina ciuitate subductum est, quod etiam Deruansense nuncupatur; eo quòd in Deruansi silua prima eius fuerint fundamenta collocata, auctorem